



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manvale Episcoporum Pro Decretis in  
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1650**

Legatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9534**

- peris. *ibidem num. 10. 16.*  
 4 Item quod pupillis relinquitur. *num. 18.*  
 5 Item quod ratione studij. *ibid. num. 19.*  
 6 Item quod pro constructione monumenti. *ibidem n. 20.*  
 7 Legatum pro anima dicitur id, quod pro bono publico, veluti viarum, pontium, & huiusmodi, si eorumdem sit necessitas. *ibid. num. 21.*  
 8 Pro executione Legatorum, si à testatore non præfinitur tempus, datur annus in profanis, & Episcopo item, ut cogat hæredes ad solutionem. *ibidem num. 27. 28.*  
 9 Legatum pium omnino intra sex menses adimplendum est. *ibid. num. 28.*  
 10 A die hæreditatis aditæ *ibid. num. 29.*  
 11 In legatis pijs à tempore insinuationis testamenti, seu publicationis. *ibidem.*  
 12 Una monitio, vel bina sufficit facta hæredi, vel personaliter, vel per nuncium, seu epistolam, & in generali. *DD. ibid. num. 35. 36. 37.*  
 13 Et tenetur Episcopus de præceptu exequi mandata testatorum. *ibid. num. 40.*  
 14 Neque potest excludi Episcopus à testatore in hac executione. *ibidem nu. 41.*  
 15 Deuoluta executione legati pro electione pupillorum, seu pauperum, quibus est aliquid distribuendum, etiam electio deuoluitur ad Episcopum, *numer. 45.*

## Legatus.

- 1 Legatus à latere potest conferre beneficia, & prouisus à Legato præteritur prouiso ab Episcopo. *Nald. Legatus num. 3.*  
 2 Dispensat in omni voto, in quo Episcopus. *idem num. 6.*  
 3 Dispensat in defectu ætatis in parochialibus. *ibid.*  
 4 Potest conferre Dignitates post primam in Cathedrali. *idem num. 7.*  
 5 Potest audire confessiones, & alijs hoc munus delegare, etiam Regularibus. *idem num. 8. in sua nimirum Provincia.*  
 6 Potest absoluere à casibus reseruatis Episcopo. *idem ibid.*  
 7 Non tamen à censuris per sententiam latit. *idem ibid.*

- 8 Potest committere absolutionem à re seruatis Episcopo, non simpliciter, sed quando occurunt casus. *ibid. num. 9.*  
 9 Alia potest, prout in litteris ei datis à Papa.

## ADDITIO.

Legato præsente in Ciuitate, Episcopus non potest vti Mozetta, neque Rochetto discoperto, nec benedicere populo; sed intra Ecclesiam, eo absente, vel annuente, potest benedicere *Congr. Rit. 2. Octob. 1601.*

## Libri prohibiti.

- 1 Index librorum prohibitorum habetur apud impressores, bibliopolas, & personas Ecclesiasticas. *Prou. 1.*  
 2 Et apud eos, qui numerosam librorum sūpplectilem habent. *Prouinc. 5.*  
 3 Iudices tamen, & Syllabi omnes particulares extra Vrbem editi, sine auctoritate S. Congreg. Indicis, sunt prohibiti. *Congreg. Ind. 16. Martij 1621.*  
 4 Catalogus librorum in partibus impressorum, qui aut sunt prohibiti, aut expurgandi, transmittatur ab Episcopis ad fidem Apostolicam. in Ind. §. 4. Clem. VIII.  
 5 Liberum sit Episcopis, aut Inquisitoribus generalibus, eos etiam libros prohibere, quos in suis Diœcesisibus expedite iudicauerint. *in Ind reg. 10.*  
 6 Libri Thalmudici, Cabalistici; alijque nefarij hebræorum libri omnino damnantur. *Clem. VIII. in indice Librorum &c.*  
 7 Liber Magazor prohibetur, præterquam scriptus hebraica lingua. *ibid.*  
 8 Hæretiarum libri cuiuscumq; nominis, tituli, aut argumenti omnino prohibentur. *Pius IV. in Ind reg. 2.*  
 9 Item hæreticorum libri, qui de religione ex professo tractant. *ibid.*  
 10 Libri, qui res lascivas, seu obscenas ex professo tractant, narrant, docent, omnino prohibentur. *ibid. reg. 7.*  
 11 Libri omnes, & scripti Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, sive in quibus continetur